

sanguinem putridum innumerabilibus scaturire vermiculis, ope
microscopii animadvertit, cum Romam crudelis infestaret pestis.

CAUSAM hujus verminosæ progeniei ad abditam quandam
intrà occultos humorum recessus putredinem refert, putredinem
verò omnem vel ad proximam dispositionem vermes nullis sensi-
bus pervios prognerare, docet *in scrutinio de peste*. Notabili &
suspectâ putredine cum scaturiunt humores vitiosi, progenies
exin verminosa & animata excludi poterit.

Sanguis præ reliquis humoribus cum gaudeat caliditate &
humiditate, dum spheram suam transcendit & alienationem pati-
tur, ad hujuscemodi insectorum procreationem aptissimas pos-
sidet qualitates.

Nec excludenda bilis & pituita. *Bilis* amara licet sit, putre-
dinem tamen concipere, quotidianæ febrium omnium docent in-
vasiones. Constat insuper, aromata penetrantissima, aliàs putre-
dini resistentia, angelicam & gentianam, putredinem in scatulis
concipere, ipsosque procreare vermiculos, visui nostro conspi-
cuos.

Pituita acida, adusta corrupta scaturiginem & fermentatio-
nem verminosam augere quoque potest.

A multis hæc sententia speciosa æstimatur, at pro analogicâ,
uti etiam est, agnoscitur, quo tantum qualitas vel malignitas hu-
morum & morbi melius significatur.

Animationem nos omnimodò inficias ire non debemus,
nec volumus, nec possumus.

CAPUT XII

causam morbificam extra locum adfe-
ctum generatam consi-
derat.

EXTRA LOCUM AFFECTUM materia generatur pro excitati-
o causâ, vel TOTIUS CORPORIS vitiô, cum abundat

C 3

PLETHO.